



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Alexandro VIII. Innocentio XII. & Clemente
XI. editas

Luxemburgi, 1739

LI. De eligendis in Superiores Monachorum S. Hieron. Lombardiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74715)

L. Statuitur, ut soli Exprocurator Gen., & Lectores Theologiae Monachorum S. Hieronymi Lombardiae eligi possint in Priores Titulares.

Id concessum fuit Lectoribus Const. ed. 1694. Apr. 3. P. 3. Et postea Const. sequenti praescriptum fuit tempus pro Superioribus eligendis.

Die 15. Jan. 1695. An. 4.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

Solicitude Pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae regimini divina dispositione praesidemus, Nos admonet, ut paternam Congregationum virorum Religiosorum uberes bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium curam gerentes, illarum quieti, & salubri directioni, quantum Nobis ex alto conceditur, consulere studeamus.

Id Exprocuratoribus concessum fuerat a Clem. X.

§. 1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Procurator Generalis Congregationis Monachorum Eremitarum Sancti Hieronymi Lombardiae, quod alias fel. record. Clemens PP. X. praedecessor noster per quasdam suas in simili forma Brevis expeditas literas concessit, & ordinavit, ut Monachi Congregationis praefatae, qui Procuratoris Generalis ipsius Congregationis officium laudabiliter exercuissent, absoluto officio huiusmodi, Priores Titulares vocem activam, & passivam in Capitulo Generali dictae Congregationis haberent, & capaces essent, ut ad Generalatum eligerentur, aliisque pluribus, & quidem singularibus privilegiis fruenter, postmodum vero per quoddam Decretum in Capitulo Generali ejusdem Congregationis editum, & a Congregatione tunc existentium S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita approbatum haec omnia dictae Congregationis Monachis Sacrae Theologiae Lectoribus, qui duodecim annis continuis legissent, & duodecim Cathedras laudabiliter itidem sustinuisent similiter concessa fuerunt, idque ea ratione factum fuit, ut juvenes his sibi propositis praemiis ad sacrarum literarum studia amplectenda, & prosequenda alacriores redderentur.

Et postea Lectoribus a Congregatione.

Causa praed. Statuti.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, desiderium assequendi Prioratum titulare huiusmodi qui ratione privilegiorum perpetuorum ei annexorum magis conspicuus, quam ipsemet Prioratus Regiminis factus est, plerisque alios ejusdem Congregationis Monachos praenarratis Exprocuratorum Generalium sive Lectorum qualitibus destitutos, ad illum sibi aliorum meritum praetextu a dicta Congregatione Cardinalium, procurandum excitaverit, & in dies excitet, inde vero fieri possit, ut Priorum titularium huiusmodi numerus brevi temporis spatio numerum Priorum Regiminis superet, & sic vocem in Capitulis Generalibus habentium numerus, qui juxta Constitutiones absque speciali hujus Sanctae Sedis Indulto augeri nequit, semper magis multiplicetur, gravesque insuper confusiones in eisdem Capitulis Generalibus oriri possint. Nobis propterea dictus Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur.

Preces Procuratoris Gener.

§. 3. Nos igitur ipsius Procuratoris Generalis votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis

occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, ut de caetero nullus dictae Congregationis Monachus, nisi, qui Procuratoris Generalis ipsius Congregationis officium laudabiliter exercuerit, aut Sacrae Theologiae Lector fuerit, ac duodecim annis continuis legarit, necnon duodecim Cathedras laudabiliter itidem sustinuerit, ut praefertur, quorumvis assessorum meritum, aliove quolibet titulo, colore, seu praetextu in Priorem titulare assumi, seu recipi unquam possit, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo statuimus, & ordinamus.

Statutum ne alius Monachus a praedictis promovetur ad Prioratum Titularem.

Clausula.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus foriri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari: Sicut in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Camerae Apostolicae Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit dictae Congregationis, illiusque Monasteriorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores praesentibus, pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique locorum habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Januarii MDCXCV., Pontificatus nostri Anno Quarto.

Statuitur, ut nullus Monachus S. Hieronymi Lombardiae eligi possit in Superiorem ante annum 36.

LI.

De Prioribus titularibus agitur Constitutione praecedenti. Et Const. ed. 1698. Oct. 18. P. 8. de Electione Generalis in, & extra Capitulum.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Sigismundus Politius Abbas Generalis, & moderni Consultores Congregationis Monachorum Eremitarum S. Hieronymi Lombardiae, quod eidem Congregationi gravissima obveniunt inquietudines ex Monachorum Juvenum ambitu, qui professione regulari vix emissa, Latorum saepe, sive etiam Ecclesiasticorum Principum commendationibus adjuti in superiores eligi satagunt, & quandoque etiam iis, ad quos

Tempus vide infra.

Causae hujus Constitut.

spectat.

spectat, Intercessorum auctoritati obistere minime valentibus, de facto eliguntur. Cum autem sicut eadem expositio subijungebat, experientia compertum sit ex eorum gubernio, quibus ætatis maturitas, ac rerum usus minime suffragantur in Congregatione hujusmodi ejusque Monasteriis maximas perturbationes, & scandala exoriri, Nobis propterea exponentes præfati humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 1. Nos igitur ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito ad ea quæ recto ejusdem Congregationis regimini conducibilia sunt favorabiliter intendentes, ipsosque Exponentes specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, ut de cætero nullis dictæ Congregationis Monachus, tametsi in Sacro Presbyteratus Ordine constitutus existat, in Priorem, seu Superiorem eligi, seu assumi possit, nisi trigessimum sextum suæ ætatis annum compleverit, auctoritate Apostolica tenore præsentium, statuimus, & ordinamus.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: Sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon dictæ Congregationis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 4. Volumus autem, ut earundem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem profus fides ubique locorum tam in Judicio, quam extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die . . . Pontificatus nostri Anno. . . .

Hæc Constitutio legitur sine tempore, sed extat descripta in libro Mensis Januarii 1695. & a Sanctissimo signata die 23. Novembris 1694.

Preces Generalis, & Consultorum.

Statutum præd.

Clausula.

LII.

Statuitur, ut Canonici Regulares S. Salvatoris Ord. S. Augustini executioni mandent Constitutiones de Regularibus professis ad eorum habitum non recipiendis.

Clem. X. Const. ed. 1676. Feb. 28. P. 6. agitur de gubernio Abbatum. Et Clem. XI. Constit. edita 1708. Jun. 20. P. 8. confirmatur Constitutio Pauli V. contra ambientes.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Marcus Antonius Motroni Abbas Generalis, & Angelus Antonius Castellini Procurator Generalis Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis Sancti Augustini, quod tamen per Constitutiones dictæ Congregationis Cap. 15. §. 19. expresse prohibeatur, ne quisquam alterius cujusvis regularis Instituti Professor ad habitum per Canonicos Regulares Congregationis hujusmodi gestari solitum absque expressa Capituli ejusdem Congregationis licentia illo modo recipiatur; nihilominus frequenter aliarum Congregationum, seu Ordinum Religiosi ad præfatam Congregationem se transferre cupientes, secum super impedimento prædicto, itaut illo non obstante in eandem Congregationem de consensu solius pro tempore existentis Abbatis Generalis dictæ Congregationis, qui illum propter efficaces intercessionis, atque commendationes plerumque invitatus præstare compellitur, recipi valeant, dispensari obtinent.

§. 1. Cum autem sicut eadem expositio subijungebat, ex nimia dictos Religiosos ab aliis Congregationibus, seu Ordinibus, sicut præmittitur translatos recipiendi facultate gravia eidem Congregationi damna, diffinitiones, & perturbationes sæpius obvenerint, & in dies obveniant, Nobis propterea dicti Exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut malis hujusmodi occurrendi ipsiusque Congregationis religiosæ quieti, & tranquillitati consulendi ergo opportune in præmissis providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eorundem votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existant ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de Venerabil. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione dilecti filii nostri Vincentii Mariæ ejusdem S. R. E. Cardinalis Urfini nuncupati dictæ Congregationis apud nos, & Sedem Apostolicam Protectoris super præmissis ad eisdem Cardinales transmissa, auctoritate Apostolica tenore præsentium mandamus, ut super iisdem præmissis Constitutiones dictæ Congregationis serventur.

§. 2. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & literis

Dat. 19. Jan. 1695. An. 4.

Constitutiones executioni non mandabuntur.

Causa Statuti.

Preces Abbat. & Procuratoris Generalis.

Statutum præd.

Clausula.

Aposto-